

www.e-rara.ch

Omnes quae extant D. Hieronymi Stridonensis lucubrationes

Hieronymus, Sophronius Eusebius

Basileae, [1536-1538]

Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: FM1 II 1-6

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-62470>

Bruno et Basilius Amorbachii candido lectori s d

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

BRUNO ET BASILIUS AMORBACHII
CANDIDO LECTORI S D

SCEPSII quos Aristotelis & Theophrasti libros, à Neleo iure hæreditatis acceperant, timore regū Attalicorū, qui tum undecunq; comparatis libris bibliothecam Pergami instituebant, in hypogæum quoddam abdiderūt. Hos partim tuncis partim humiditate labefactos, Apeliconi eius, magno receptos precio, restituere conatus, scriptura non rectè suppleta, publicauit erroribus plenos. Sed ab inclinatione imperij citra, longè fauor pestis in optimos quosq; scriptores, & sacris autorib; in Hieronymū præcipue debacchata est. Nā laudi cedere debuit Apeliconi, quod in operibus Aristotelicis reponere sit adnexus, quæ deesse cōperiebat. At quibus tandē crucibus digni censentur, qui quum in alijs autoribus, tum in Hieronymo maximè, non modo emaculare mendas, quæ uel tēporis uitio, uel incitia librorū inoleuerant: sed his quæ rectissimè habebat, suas impuras manus admoliri, polluere, adulterare, omnia deniq; nullo nec pudore nec iudicio interuertere sunt ausi. Verū de his in prioribus Tomis ab Erasmo nostro satis multa dicta sunt: quare nos istis omisissis de instituti operis ratione breuiter differemus. Ioannes Amorbachius parens noster quum quatuor doctorū, ut uocant, omnia monumenta suis typis procudere destinasset, & iam Ambrosium & Aurelium Augustinū haud infeliciter absoluisset, Hieronymus restabat. Ad huius castigationē quum exemplaria, ductu humanissimi, doctissimiq; patris Gregorij Reischij Chartusij, ex innumeris bibliothecis cōparauit: tum ex omni Germania uiros undecunq; doctissimos acciuit. Nam eo planissimè erat animo erga restituendos sacros illos ac ueteres Christianæ religionis autores, ut huius rei studio, nec rei pecunia, nec ætati iam ingrauescēti parceret. Inter hos itaq; quos accersit, Ioannes Reuchlinus in Hebraicis non nulla reposituit. Conon Norimbergensis in Græcis & Latinis multa castigauit. Sed longè plurimū momenti attulit Erasmus ille Roterodamus, qui si nobis in tempore contigisset, uel unus ad omnia fuerat suffecturus, uir præter eruditionem uariam, minimeq; uulgarem, diligentia infatigabili prorsusq; adamantina, iudicio exactissimo, & in diuinando quum res postulat, mira quadā solertia. Is quatuor primos Tomos in se recepit, in quos addidit & scholia, ne posthac facillè deprauari possent. Nos in Hebraicis alicubi cōmodauimus operā, quod in his sine nobis nollet iudicare. Porro pater quum in hoc nos ante uelut instruxisset trium linguarum qualicūq; peritia, Latina, Græca & Hebraica, quod sine earum præsidio nihil agi poterat in hoc negotio: tam egregio operi tandem immoriens, hanc prouinciam uelut hæreditariam nobis delegauit, futurum sperans, ut si uetus illa theologia reuiuisceret, minus ualeret spinosum istud sophistarum, & frigidum theologorum genus, & Christianos haberemus magis ingenuos & germanos. Ab eunt enim studia in uitam, & tales euadimus quales quotidie legimus. Enimuero quū iuxta Isocratē, non modo paternarum facultatum, sed & paternorū amicorum, *ἡρώδης δὲ καὶ παῖδας ὡς ἀντὶ τοῦτο ἰδὼς, ὅτι οὐκ ἔστιν ἄλλος ἢ πατρὶς λόγος, ἀπονομήσας, ἀτρεκέως*, atq; adeo studiorum successionem capeffere deceat, nos omisissis optimis simul ac suauissimis studijs, annos aliquot in hunc laborem insumpsimus, & nonnullā optimā ætatis portionem Hieronymo impendimus, ijs quidem laboribus qui cuius adolescenti senium conciliare possent. Primum quantum difficultatis habuerit ueterum uoluminum uix legibilium collatio, quorum nobis ingens copia fuit, omnibus ferè Germaniæ bibliothecis exemplaria suggerentibus, ij nosse poterunt, qui in ea re aliquando sunt uersati. Nec tota res ab exemplaribus penderet, sæpe numero inter se pugnantibus, sapissimè corruptis, iudicio opus erat ad delectum, nonnunquā & diuinatione, qua quidem in re magis religione opus fuit quā temeritate. Atq; in alijs quidem rebus uoluptas sensum laboris adimit, aut certe mitigat: hic nihil nisi labor, & semper eodem tenore recurrēs molestia. Adde quod nullus labor molestior, quā emendare tales autores, ex quo minus gratiæ reddit ad eum qui suscipit. Verum hoc heroicum est, etiā gratis bene mereri de genere mortalium. Sic deus quum nullius egeat, nec ab ullo gratiā repetat, tamen omnibus benefacit. Et rex bonus consimili est animo. Quāquam castigandis autoribus magnam laudem quidam cōsequuti sunt. Aristarchus notus quod Homerum obelis & asteriscis distinxerit. Hermolaus non minus clarus est quā ipse Plinius. Libris medicorum quid corruptius? In quibus restituendis, egregiam nauauit operam & nauat Gulielmus Copus, Basiliensis urbis immortale decus. Iuris peritorū libris quid deprauatius? In his non infeliciter rem aggressus Budæus, Galliæ suæ primum honestamētum. Nec hoc inferior Zasius, qui in Pandectarum uolumina pari studio commentarios meditatatur. Deniq; quid supererat Aristotelis? Hic adiuuit Theodorus & Argyropylus, & Leonardus Aretinus. Sic enim, prohdolor, in omnibus disciplinis, bonorum autorum monumēta per indoctam quorundam audaciam, & audacem incitiā impunè corrupta sunt, ut nisi in tempore succurrissent docti, planè de his fuerit actum. Quod si nō omnia restituta sunt in opere tam immenso, minimè mirum uideri debet: si quidem nec Hercules suffecit aduersus Hydram & cancrum duo monstra. Nos ergo qui pares esse poteramus aduersus tot milia portetorum: primum iuuenes, deinde mediocri doctrinæ. Certè magis adlaborari non potuit: & pleraq; omnia restituta sunt, ut opinamur. Iam uerò neutiq; reprehendendum, si quid discrepat à ueteri gustu, aut si quid parum assequaris. Alioqui magis arguendus ipse Hieronymus, quod Græca & Hebræa admiscuerit, nobis danda uenia, si quod ille scripsit, nos restituimus. Nam si pulchrum fuit illi scribere, nobis honestum erit restituisse. Quin potius hæc debent nos ad studium earum linguarum inhorari, sine quibus diuinæ literæ cognosci non possunt. Porro autem hic quintus Tomus, commentarios habet diui Hieronymi in maiores prophetas, ut uocant, tam insignes, ut hic de eo dici possit, quod ille de Origene Canticum canticorum interpretante dixit: In cæteris uicit omnes, in his prophetarum commentarijs seipsum. Nam iam diutino studio maturuerat eruditio. Et certè uetus testamētum à Græcis penè neglectum uidetur, quod nouo Græce scripto magis fauerent: at Hieronymus duos Cherubim ex æquo coniunxit, & abyssum abysso copulauit. Quod superest, quandoquidem sincera fide sudauimus in restituendo Hieronymo, uestrū est o lectores, grato accipere animo: & dare operam, ne post hac deprauetur quod emendatū est. Nos sanè non contenti collatione Latinorum codicum tamen uetustissimorum, Hebræa quoq; consulimus uolumina, sicubi hærebamus, uelut in Hebraicis nominibus, in locis Hebraicis, in dictionibus deprauatis. Sed & locos citationū magna cura adnotauimus, non ut in cæteris ubi sapius fallitur lector q; adiuuatur. Præterea quoties æditio Septuaginta ab Hebraica ueritate discrepat, interuallo medio distinximus, suo utranq; titulo prænotantes. Vbi uero conueniunt, perpetuò uersuum contextu sumus utranq; complexi. Bene uale lector, & fruiere, & quum in his spiritalibus opibus uersaberis, fac faueas inclytæ ciuitati Basileæ: quæ prima thesaurum hunc orbi protulit, faueas officinæ Frobenianæ, in qua labor hic defudatus est. Denique nobis, quum immensa pecunia, tum nulla pecunia æstimandis sudoribus res peracta est. Nam tamen totam penè rem paternam in hoc opere periclitati sumus, tamen ætatis ac studiij intermisisti maior nobis uidetur sumptus. Iterum uale. Basileæ, Nonis Maijs, anno à Christo nato millesimo quingentesimo decimo sexto.